

cipiendam, necessaria est, sed ad ingenium tantum exercendum et oblectandam mentem facit. Quare opus non est, ut in Theologia de hac controversia solliciti simus. Quanquam non diffiteamur, communem sententiam, etiam in thesi expressam veriore esse, i. e. Theologiam, si ad analogiam philosophicarum scientiarum, earumque practicarum, consideretur, ad practicos habitus propius, quam ad theoreticos accedere, cum ex intentione scientiae theologiae, quaecunque in theologia tractantur, ad *finem* practicum tendunt, vel *virtualiter talem*, ut est *fides*, quae *πρακτικόν* quid est ratione *apprehensionis* Christi et ratione *virtutis* amorem DEI et proximi in homine efficiendi, vel *formaliter talem*, ut est animi sanctitas.

§. 10. *Differentia specifica* ab obiecto et a fine desumitur. *De specifica differentia.*

§. 11. *Obiectum materiale*, seu id, quod tractat Theologia, est omne reuelatum. *De obiecto.*  
Inter ea vero, quae reuelata sunt, praecipuo loco DEVS est, et res diuinae ceterae omnes, utpote de angelis, de diabolo, de homine, de coelo, de inferno, etc. ob principale obiectum DEVM considerantur. Vnde quo propius ad DEVM accedunt, eo magis *proprie ac directe*, quo remotius ab eodem abeunt, eo magis *indirecte* a Theologo considerari intelliguntur. Quare quanquam de hoc obiecto variae apud Theologos reperiuntur loquendi rationes, utpote, quod DEVS sit, quod sit religio, quod res diuinae et humanae, in idem tamen reipsa recidunt.